

05

A

345



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-560387-p0002-0

DFG

I. N. J. T.
DISPUTATIO ETHICA
POSTERIOR
DE
DIVERSITATE
ACTIONUM MORA-
LIUM,
PRO ^{Quam} LOCO
In Amplissimâ Facultate Philosophicâ
benevolè sibi concesso,
publicæ collationi subjicit
P RÆ S E S
M. SAMUEL MOVIU S,
Colberg. Pomer.
R E S P O N D E N T E
BENEDICTO SAHMO ,
Regiomont. Borusso,
ad diem 15. Augusti
In Auditorio Majori
horis matutinis.

WITTEBERGÆ,
EX OFFICINA JOHANNIS HAKEN.
M DC LXI.

FC 26





05 A 345



A. & Ω.

CUM PROSPERO NU- MINE.

γνῶσις Ethica.

De

DIVERSITATE ACTIONUM MORALIUM.

Θέσις I.

Distinctio actionis humanæ in volunta-
riam & involuntariam actioni hu-
manæ in genere minus commodè
tribuitur.

Expositio.



Um theseos genui-
nus ac verus intellectus o-
mninò dependeat à prædi-
cta distinctionis membro-
rum solidâ explicacione , i-
deò operæ pretium exposcit
ut cam præmittamus. Defi-
nitur alias actio volunta-
ria , quod sit ea, cuius prin-
cipium est Voluntas & qui-
dem rectè se habens suppo-
sito scilicet accurato judicio practico. In quâ definitio-

A 2

ne c.b.

ne observari oportet 1. quod ad actionem voluntariam
requiratur scientia & cognitio rei non tantum in se spe-
ctatæ, sed & ratione circumstantiarum ad illum actum
pertinentium h. e. ut agens sciat, *quid*, *quomodo*, *quibus*
auxiliis, cur, ubi, quando & quibus personis presentibus actio
sit suscipienda. 2. Ut appetitus non sit præpeditus, sed li-
ber, & 3. ut præter illam primam commotionem nullum
extrinsecum principium causale accedat, nisi tantum oc-
casionaliter. Ex horum requisitorum concursu efficitur
actio quæ intensè voluntaria est, & alias *actio magis vo-*
luntaria dicitur, ad differentiam actionis minus voluntariae.
Illa agit ex proæresi, destinato consilio & proposito, me-
dia quærerit, voluptatem in actione capit, aut quibuscumq;
aliis modis se habens: hæc equidem voluntaria quoq; est,
non tamen planè libera, sed propter aliud impellens spon-
te sua agit, quo non præfente non ageret. Succedit a-
ctio *involuntaria*, seu *invita*, cuius principium Voluntas
quidem est, sine judicii tamen practici accurato examine
& justâ censurâ, vel quæ sine voluntate à principio quo-
dam externo dependet, & neq; principium neque finem
habet cum voluntariâ communem, quamquam per eadem
media operari possit utraque. Gemina hæc actionis
humanæ opposita definitio vel applicatur ad *έργηντι* seu
internum actum tantum, & sic incommodè distinctio
præmissa actioni humanæ internæ in genere adsignatur,
cum actiones internæ voluntariæ sint & ad oppositum
non inclinent, quamvis sæpè minus voluntariæ dici pos-
sint: vel restringitur ad *έργημα*, seu actum externum
simul, qui cum interno unitur ac concurrit, & ex interno
voluntatis motu & externo membrorum actu moraliter
complicatur, ut fit in actionibus voluntariis, vel non hoc
modo concurrit, ut in actionibus involuntariis: posteriori
modo applicata distinctio magis inoffenso pede proce-
dit, cum notum sit actionem involuntariam dici commu-
niter propter extrinsecum operandi principium: at verò
re-

respectu intrinseci principii actio non est involuntaria,
cum voluntas cogi nequeat quoad actus puta elitos, ut
in subseqq. dicetur. Remanet ergo distinctionem actionis
humanae in voluntariam & involuntariam magis
propriè convenire actioni humanae extrinsecæ quam in-
trinsicæ.

Θεσης II.

Actiones spontaneæ non ubique volun-
tariæ & formaliter morales sunt.

Ἐκθεσις.

Magna quidem inter spontaneum & voluntarium af-
finitas, non tamen omnimoda intercedit convenien-
tia. Extra actiones n. morales virtutem & vitia, laudes
& vituperia concedendum utique discrimen spontanei &
voluntarii, ut spontaneum commune sit & bestiis & ho-
minibus, voluntarium autem hominibus proprium. Con-
trà verò idem sunt in actionibus moralibus & in strictâ
explicatione ἐκθεσίς Aristoteleā. Voluntarium, definien-
te Aristotele, constituunt duo scientia tanquam judicium
intellectus & voluntas ut principium intrinsecum, quod
ex opposito patet. Defectus enim modò citatorum
principiorum oppositam infert actionem. Ubi enim
deest scientia, ibi actio redditur involuntaria, ubi non
concurrit voluntas, actio ibi redditur violenta. Et licet
assertum fuerit, spontaneum & voluntarium esse certâ
ratione idem, non tamen inde colligat quis, spontane-
um quoque cum proæresi simpliciter coincidere. Verùm
distingvenda isthac probè sunt, ut latius & angustius,
siquidem in tantum, non in totum conveniant. Rectè
quidem dico: omne quod ex proæresi fit est spontaneum,
sed non reciprocè, quia in repentinis agimus spontè sed
non proæreticè. Et licet quandoque proæresis cum vo-
luntate à non paucis pro æquipollentibus venditetur, non

A 3

tamen

tamen ex vulgari & minus accuratâ acceptione proæresis & Voluntas idem erunt. Siquidem voluntas latius se habet quam proæresis, & est sæpè impossibilium, proæresis autem non nisi possibilium. Voluntas respicit & extendit se ad aliena quoq;, proæresis tantùm ad nostra. Voluntas vult finem & media, licet finem potius quā media, proæresis autem media & non tām finem, quā media. Vir quidam eruditus tribuit infantibus, utpotè nondum maturâ ætate, judicio & ratione perfectâ prædictis actus non tantùm voluntarios, sed etiam semiproæreticos, sumptâ nempe proæresi pro imperfectâ & inchoatâ. Videndum porrò, quomodo actio spontanea non actutum sit moraliter informata. Nam actio spontanea prout modò descripta fuit, agnoscit pro principio voluntatem rudem adhuc; contra v. moralis requiritur insuper practicam & judicio practico informatam, sive illud fuerit legitimum sive illegitimum, à quo actus moralis suum formale habet. confer. excellentiss. Dn. D. Wendelorum Philos. pract. t. i.

Θέσις III.

Actiones, quas vocant mixtas, ad actiones voluntarias referri possunt.

Ἐκθέσις.

Ratio est (i) quia eo tempore, quo geruntur spontè suscipiuntur & contrariis rebus opponuntur. Nam ejusmodi actiones non in se absolutè & simpliciter sunt considerandæ, quā ratione largior tales actiones invitâ esse, cum contra voluntatem, exempli gratia Mercatoris merces abjiciuntur in mare, quas servatas mallet; sed circumstantiarum intuitu æstimandæ, comparatè nempe & respectivè cum collatione oppositi monente Aristotele l. 3. Eth. c. i. Circumstantiis expensis priuum, post eliguntur à voluntate & in comparatione plus habent spontanei

nei quam inviti, ut, quando tempestas adeò fit vehemēs,
ut nulla alia spes salutis reliqua sit, quo modo spontaneæ
sunt ; Eligit enim alterum præ altero, idque ex prævio
consulto. 2. Initium movendi membra , ut partes instru-
mentales est in ipso talia agente, qui & causa adjuvans sæ-
pè est & abjectionis principium, unde 3. laudem & repre-
hensionem consequentem habent, quæ sunt præsentissima
indicia spontè factorum. Expressit hoc pulchrè *Terenti-*
us in Adria Act.4.scen.1. tuā voluntate coactus es.

Θέσις IV.

Actio involuntaria alia per violentiam,
alia per ignorantiam committitur.

Ἐπίθεσις.

Invitè facta dici videntur illa, quæ aut vi coacti agimus, aut
per ignorantiam dicente Arist.l.3. Eth. c. i. vis enim appe-
titum aut voluntatem, ignorantia scientiam excludit,,
quarum utraque in ratione spontanei involvitur. Hæc
violentia tantum spectatur in actionibus , quas vocant
imperatas sive per externa membra productas. Nam in-
ternis sive elicitis voluntatis actionibus nulla vis ab ullo
agente extrinseco finito inferri potest, hinc illud : *Volun-*
tas non potest cogi. Unde m.intelligitur, quomodo is , qui
cogitur nihilominus dicatur agere : agit n. non moraliter
consentiendo & approbando eam violentiam, sed quate-
nus membra ejus instrumenti vicem præbent ad actionem
aliàs sibi adversam, patrandam : sicut olim Christiano-
rum manus ab ripiebantur ad adolendum thus Diis genti-
lium.. Unde rectissimè prædicta actio involuntaria per
violentiam commissa moralitate suâ spoliatur, cum ad e-
andem principia ad actionem moralem necessaria non
tantùm non concurrant, cum unicè propter externum
principium motus fiat & primus (qualis est in omni a-
ctione)

ctione) & secundus & tota adeò actio, sed contra natu-
ram etiā & inclinationem ipsam. Nam hoc propriè Physi-
cis violentum est, non quod tacente solum, sed quod re-
pugnante naturâ fit & evenit, sive agente sive paciente
subjecto. Neque contra nos militat commune effatum
J. Ctorum: *Coacta voluntas etiam voluntas* per text. in l.
si mulier. 21. §. final. ff. quod met. caus. Sicut Theologorū e-
tiā: *fides imbecilla etiam fides est.* Illud n. non intelligendū
est simpliciter, quasi voluntas cogi possit & quidem quo-
ad actus elicitos, quod impossibile. vid. *Medin. in Thom. I. 2.*
q. 6. art. 4. c. 1. § 2. Et rectè dicit Epictetus ap. Arianum l. i. c. i.
vicrura vinculis adstringas, arbitrium tamen nihilominus ma-
lum erit, quod ne Jupiter vincire potest; Sed intelligitur de
voluntate non integrâ, sed remissâ saltem, juxta Phil.
Matth. ad L. 4. ff. de R. J. Unde ea actio non invita censem-
da aut involuntaria, cum non præter, sed secundum vo-
luntatem & electionem sit instituta. Majoris offun-
dendæ lucis causa observari hîc volo, quod quando actio
involuntaria descripta fuit, quod videlicet ea sit, cuius
principium est extrinsecum, per hoc non qualemque
externum principium intelligimus, sed quod ità adhibe-
tur extrinsecus, ut id, cui vis infertur, nullam operam cō-
ferat. Sic si quis è puto trahitur, licet vis agendi vel tra-
hendi sit aliunde non tamen est actio violenta, quia ex-
trahendi consensus adest, & sic conseqenter extrahen-
dus cooperatur, quantum potest. Atque hoc violen-
tum, prout ab Aristotele definitum fuit, non opponitur
naturali sed *spontaneo & voluntario.* Illa enim violentia
quæ infertur rebus voluntate carentibus non reddit invol-
untariam actionem vel invitam privativè sed *absolutè &*
negativè talem, uti alias constat: Privatio n. præsupponit
habitum, ubi enim nulla potest esse voluntas, ibi involun-
taria actio privativè sumta locum habere non potest. v.g.
Si vehemens ventus lapillum abripit & in altum tollit,
motus ille dicitur violentus, ut opponitur naturali, non
autem

autem voluntario , ut possit dici motus voluntarius seu
invitus privativè, unde si strictè distinctioni εὐγονία seu α-
νεγονία inhærendum, violentia navium ad actiones mora-
les non pertinet, multò minus violentia , quam patitur,
lapillus, salvo tamen cujusque judicio. Nunc de acti-
one involuntariâ, quæ per ignorantiam talis est, quæ fit si-
nere rei ipsius aut circumstantiarum cognitione . Agit e-
nim interdum voluntas intellectu multa nesciente , quæ
actio tota nō est voluntatis. Sed causa ejus quoq; ignorā-
tia est, quæ eam facit suo modo involuntariam. Sciendum
v. hīc quod quando sermo est de ignorantia , per eandē
non nescientiam cœu terminum æquipollentem ex mente.
Nonnullorum intelligi h. l. debere . Nam ignorantia à
nescientia differt ut privatio à simplici negatione, & igno-
rantia non excludit omnem scientiam, sed privat & tol-
lit saltem debitam, eam sc. secundum quam agi debet.
Nescientia omnem sanè notitiam excludit, quæ vel potest
vel debet haberi. Qualis est in lapidibus, arboribus &
iis, quos deficit rationis usus. Deinde aliud est ignoran-
tem esse in actione, ubi ignorantia causa non est, sed aliī
actio adscribenda, sc. ei unde illa ignorantia profecta &
causata est. Si ebrius ignorans quid agit, causa agendi non
est ignorantia, sed vinum, quod & ipsam ignorantiam
inducit, quod si non fuisset, ignorantia locum non habu-
isset: & aliud est agere per ignorantiam ; cum ignoran-
tia ipsa est causa actionis, quæ si non fuisset neque actio
esset. Quando hīc dicitur, quod causa agendi sit ignoran-
tia, tum intelligitur id populariter & quodammodo im-
propriè sive de causa morali ; nō exquisitè & propriè de cau-
sa physica & positivâ, cum ignorantia sit privatio, privatio
autem non est rei positivæ causa physica & propriè dicta :
ideò autē dicitur causa, quia scientia actionis contrariū
effectum producit, atque impedit seu tollit omnia ea ,
quæ actum ex ignorantia committendum efficiunt. Sicut
ergo ignorantia causa est, cur tollatur scientia, ita quoque

B

causa

causa est, cur tolluntur ea, quæ à scientia provenire possunt; atque sic ignorantia est causa, cur non omnia impedimenta fuerint remota: quemadmodum absentia Nāvārchi seu Nautæ dici solet causa naufragii, non quod illud positivè effecerit, sed quod illud præsens non impediverit. Utrumque adductum distinctionis membrum facere quidem potest actionem non voluntariam, sed non cum eodem effectu. Posterius excusat agentem, prius non item. Ut autem constet, quæ & qualis ignorantia & quomodo excusat actionem, notetur hic, quod variæ ignorantiaræ species apud Aristotelem & apud Scholasticos inveniantur, quæ ad decisionem hujus theses multum omnino faciunt, quæ proinde hoc loco adducendæ & brevissimè deducendæ sunt. Ignorantia igitur alia est puræ negationis cum simpliciter aliquid ignoratur & nihil de illâ re intelligitur vel qua factum ipsum, vel qua circumstantias, & hæc ignorantia non est conjuncta cum vitijsitate: quod n. lege non præcipitur, id si contra fiat, in vitio poni nequit. Alia pravæ dispositionis, quæ est error intellectus, ubi intellectus pravè dispositus aberrat judicando. Quæ ignorantia est conjuncta cum vitijsitate, qua ignoratur id, quod fieri debet & potest v. g. quando judex nescit leges, secundum quas tamen judicare, adeoque eas ratione officii cognitas habere tenetur. Coincidit cum ignorantia juris, quando quis ignorat ea, quæ scire debeat, tanquam fundata in jure divino, naturæ & humano. Dicimus itaque ignorantiam absolutæ negationis reddere actionem invitam, non item eam, quæ est pravæ dispositionis vel puræ privationis. Excipe tamen, si ignorantia pravæ dispositionis & privationis error fuerit invincibilis ex parte, & subsequatur poenitentia, judicium mitigandum est, censente non-nemine. Porro alia ignorantia est invincibilis dicta alijs involuntaria, quæ actum voluntatis antecedit, estque causa facti non eventuri, nisi ea præcessisset, & hæc prorsus invitum redit.

dit factū, si sit invincibilis & in se & in suā causā: Alia *vincibilis* seu voluntaria, quę actū voluntatis vel cōsequitur, vel cōcomitatur. Atque hæc sive *virtualis* sit & implicita, sive affectata & explicata, non excusat. Unde gentes Paulo inexcusabiles sunt. Plures distinctiones nolo hīc præter rem & necessitatem cumulare. Vid. si placet disp. nostram priorem de principiis Act. moral. Thes. 8. ubi de his prolixè.)

Θεσις V.

Actio est bona & mala.

Ἐπίθεσις.

Actio bona est, quæ convenit cum rectā ratione ex lege formata. Circa hanc descriptionem monendum, quod non bonitatem *transcendentalem* hīc intellectam velimus; sed *moralē* & *Ethicam*, cuius principium recta ratio & modus agendi libertas est. Nonnulli, quod observandum hic, actus internos dicunt etiam bonas & malas actiones Ethicas, quod alii contrā improbant, statuentes actus internos in Ethicis saltem laudem & vituperium boni & mali principii habere, non actionis moralis, cum & non beatus istā bonitate gaudeat, qui tamen Ethicē non agit, & potest esse rei malae appetitus, ubi tamen (in actione inchoatā) meliora sequimur & agimus, sicque simul & mala & bona agere diceremur. Verūm qui ita procedunt, vocem actionis latius extendunt ut ad utrumque tām internum, quām externum actum flecti debeat. Et horum externorum substantia (sit venia verbo) & essentia, utpote quæ semper & simpliciter est bona nempe transcendentaliter, probè distingvenda venit, ab actuū qualitate, quæ formale bonitatis & malitiæ dicitur. Atque hoc formale quoad bonitatem deducimus in definitione ex rectā ratione & lege, id quod plenior pleniōrē exponendum est. Scilicet *lex* est fundamentum bonitatis, à qua & per quam legem ratio nostra informatur, & tum

B 2

demum

demum dicitur recta. Legis v. ipsius basis est honestas, ad quam Deus in legibus naturæ & aliis immediate respexit. Et hinc bonitas ex honestate *originaliter* desumenda. Patet igitur quod principaliter bonitas ab objecto honesto, sub ratione formalis honesti, hoc est, rectæ rationi convenientis, quæ ut differentia formalis actionum est, sumpto specificetur; secundariò à fine, intentione & circumstantiis, unde bona etiam benè agenda & opera non nominibus sed adverbiis judicanda sunt. Hæc omnia itaq; bonitatis requisita ad actum bonum concurrant necesse est, quia bonum adstruentis naturæ. Exposita actione bona descendimus ad explicationem actionis malæ. Cœterum mala actio est, quæ à rectâ ratione & lege deficit. Describitur isthæc ad rationem privationum scilicet à subjecto & opposito. Defectus seu deficientia à lege & honestate est formalis ratio malitiæ, ut ex opposito colligere est. Est verò hæc difformitas tam in *omissione* quam in *commissione*, ibi est pura privatio v.g. non juvare, cum possit, non pugnare fortiter cum debebat. Hic verò est privatio cum oppositione contrarii v.g. scortari, inebriari, furari &c. quæ duo differunt hoc modo, ut prius dicatur deficere tam in actione ipsâ (hoc est in agnendo) quam in rectitudine seu formalis; hoc posterius verò materiale ponit, & illi disconvenientiam inesse dicit. Malitia isthæc *principaliter* ab objecto in honesto formaliter, tali, & intentione malâ etiam honestum agentis pendet. Mala enim intentio etiam ex honesto turpe facit, ut qui stipem dat, ut hominibus appareat, orat, ut pius videatur. Videmus proinde solam intentionem non facere bonum quia objectum honestum formaliter tale esse debet: sic qui stipem dare vult & furatur ille justè non agit. Secundariò à circumstantiis predicta malitia dependet. Sic hominem furatus gravius peccat, quam qui bestiam. Quo ipso mali destruentis natura evidenter, satis exposita est. Neq; est ut quisquam querat: Numne actio per se mala per circumstantiam fieri possit bona?

Quæ

Quæ enim per se est mala malitiâ morali & intrinsecè turpis, nunquam sit bona, quæ autem mala est physicè id est noxia & inconveniens naturæ, ut est projectio mercium & combustio membra corporei &c. potest certò & salutari respectu dici bona. Atq; hoc minus malum puta noxiū & molestum respectu majoris mali dici potest bonum, licet in se & simpliciter consideratum sit & maneat inconveniens. Quæ hucusq; præeunte aliorum informatiōne de Principijs actionum moralium harumq; diversitate à nobis pro iudicij nostri teneritate pertractata fuerūt, sufficient hac vice: neq; necessarium duco plures prædictis adjicere lineas, cum de hac materiâ varij variè differant. Gloria sit interim DEO Opt. Max. qui omnis actionis nostræ bonæ principium ac FINIS!

Approbo discursus Ethicos, reproboq;
feroces

insultus Juvenum, qui pietate carent.
Vive Deo rebusq; tuis, non gratia Christi
deficiet SAHMIUM, dico futura tibi.

*Convictori atq; Amico suq;
charissimo lubens appos:*

Johannes Andreas Quen-
stedt, D. Prof. Publ.

περιφωνα
Ad Præstantissimum ac Politissimum
DN. RESPONDENTEM,
Amicum & convictorem suum dilectissimum:

B 3

Phi-

PHilosophia triplex antiquis teste Platone
Disperrita fuit, quam benè non reputo:
Scilicet in Logicam, Physicam Morumque Magistram.
Neutra suis titulis est spolianda sacris.
Dona DEI sunt hæc: tersæ facundia lingua,
Naturæ Indago, Babariæq; Vigil.
Verum nulla feros mores magis expolit, atq;
Ethica, quæ bliteos imperiosa regit.
Non præcepta tenens est Ethicus atq; Professor,
Sed qui virtuti deditus est Ethicus.
Nomen Aretologus moralis sustinet, in re
Excellit, turpe viro! rusticatis opus.
Non hunc, ast illum SAHMIUS virtute sequatur
Sic Ethicus doctis audiet ipse bonus.

factum
a
Præside
M. SAMUEL MOVIO,
Facult. Philos. Ad-
juncto.

Per Eximio
DOMINO SAHMO,
ex Ethicis disputanti, Amico suo atque
commensali percharo:

ETHica proponit quæ sit virtutis ima-
go,
Ad quam ceu normam vita regenda
piè.

Nomi-

Nomine non solo, sed praxi discitur illa,
Ni cupias solum nomen habere boni.
Hæc dum perpendis, S' A H M I Doctissi-
me, monstras
Mascula quam tua sit mens animusq;
probus.

His faveat cæptis Nūmen , studiumque
secundet
Ethicus ut fias dignus honore precor!

*amoris ergo
scrib.*

Petrus Joachim à Ramel,
Eques Pomer.

Ita
VIRO-JUVENI
DN. BENEDICTO SAHMIO,
Sympatriotæ ac Amico dilectissimo
Ethicè disputanti gratulatur.

SÆpè homo sectatur magno varioque
labore
Quæ sibi damna parant, fines referuntq;
dolendos.

Hic

Hic affectat opes , atque auri pondus a-
micum :

Expetit hic vires, optat robur alter Achil-
lis

Discupit hic, falsò quæ svadet prava vo-
luntas,

Nec quid illa ferant tacito modò corde
repedit.

Longè aliter dilecte facis, quando Ethica
tractas.


*Est nimium in vicio , media est bona quæq;
voluptas ,*

*Virtutis comes una , boniq; pedissequa sum-
mi.*

Jugiter hanc sectare animo , concordia
vitæ

Nec Tibi virtutes , nec vel bona summa
negabunt.

Joachimus VVestphal , R.B.



05 A 345


ULB Halle
004 210 298

3




Sb

1017



Farbkarte #13



I. N. J. T.
DISPUTATIO ETHICA
POSTERIOR

DE
**DIVERSITATE
ACTIONUM MORA-
LIUM,**

Quam
PRO LOCO

In Amplissimâ Facultate Philosophicâ
benevolè sibi concesso,

publicæ collationi subjicit

PRÆSES

M. SAMUEL MOVIUS,

Colberg. Pomer.

**RESPONDENTE
BENEDICTO SAHMIO,**

Regiomont. Borusso.

ad diem 15. Augusti

In Auditorio Majori
horis matutinis.

WITTEBERGÆ,
EX OFFICINA JOHANNIS HAKEN.
M DC LXI.

1